

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 2

---

1990

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

DECEMBRI 1990

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

OBSEQUIUM EXC.MO PRAESIDI

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica de Universitatibus Catholicis <i>Ex corde Ecclesiae</i> . . . . .	171
Constitutio Apostolica <i>Sacri canones</i> qua <i>Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium</i> promulgatur . . . . .	197

## ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis occasione praesentationis <i>Codici Canonum Ecclesiarum Orientalium</i> in XXVIII Congregatione generali Synodus Episcoporum habita . . . . .	205
Ex Allocutione Summi Pontificis Synodo Episcoporum exeunte habita . . . . .	212
Allocutio Summi Pontificis ad Cardinales, Familiam Pontificiam, Curiam ac Praelaturam Romanam, occasione omnium pro Nativitate Domini habita . . . . .	217

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Ordinatio ad exsequedas Litteras Apostolicas <i>Iusti Iudicis</i> Motu Proprio datas . . . . .	225
Articulo XI Statuti Officii Laboris apud Sedem Apostolicam (ULSA) haec quae sequuntur de membris ad supplendum addenda sunt . . . . .	230
Normae. De latino textu Codici Canonum Ecclesiarum Orientalium tuendo eodemque alias in linguas vertendo . . . . .	231

### PONTIFICIA COMMISSIO « ECCLESIA DEI »

Rescriptum ex Audientia SS.mi quo Cardinali Praesidi Pontificiae Commissionis « Ecclesia Dei » speciales tribuuntur facultates, foras datur . . . . .	232
---	-----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus ») (Sessio XI) . . . . .	234
Appendix. Canones approbati a Coetu « De Normis generalibus » . . . . .	259
II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus ») (Sessio XII) . . . . .	276

## DOCUMENTA

Interventus Em.mi Praesidis Pontificii Consilii in Synodo Episcoporum . . . . .	316
Observationes aliquae in scriptis traditae Secretariae Synodus Episcoporum, Coetu generali, mense octobri habito, perdurante . . . . .	320

\* \* \*

Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	327
Notitiae . . . . .	328
Index Rerum Generalis . . . . .	331

## II

COETUS STUDII  
«DE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS»

(OLIM «DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS»)

**Sessio XII**

(diebus 22-26 octobris a. 1973 habita)

Diebus 22-26 octobris a. 1973, in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est XIIa Sessio Coetus Consultorum «De personis physicis et iuridicis», quam aliqui Consultores e Coetu «De normis generalibus» selecti, participati sunt.

In conventibus partem habuerunt Rev.mi quattuor et Ill.mi tres Consultores.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta redegit.

Aliquibus conventibus interfuit etiam Em.mus Commissionis Praeses, Card. Pericles Felici.


Materia in hac sessione tractanda erat:

1) de actu administrativo individuali in iure canonico, scilicet quinam canones de rescriptis valorem haberent etiam pro aliis actibus indolis administrativae;

2) disceptationis continuatio de ordine systematico canonum qui normas generales constituunt, necnon canonum qui a Coetu studii «De personis physicis et iuridicis» confecti sunt.

## RELATIO SESSIONIS XIIae

Ineunte Sessione, Rev.mus Secretarius Ad. ea, quae in priore Sessione concordata sunt ad ordinem systematicum quod attinet, in memoriam revocat, et in pagg. 38-39 Relationis Sessionis XIae continentur [cfr. *Communicationes* 22 (1990) 257-258]. Iuxta ordinem ibi statutum, canones iam paratos ordinare idem Rev.mus D.nus conatus est; non paucas tamen difficultates iam ab initio laboris expertus est et quaerit exinde Consultorum consilium.



Exempli gratia in Tit. III, ubi de actibus administrativis singularibus sermo fit, quaestio exurgit de loco ubi inserendae sint normae communes; quod valet etiam pro canonibus de procedura administrativa.

Insuper, distinctio inter praecepta et decreta nondum bene clare evadit. Sic, circa canones de rescriptis, pro quibus diiudicandum est quaenam normae remittendae sint ad partem communem et quaenam ad partem peculiarem.

Canonum textus quidem probatus est, sed videndum est praecise de eorum collocatione in ordine systematico.

Primo, igitur, agetur de normis communibus Tit. III, quae canones continent de procedura administrativa.

Rev.mus Secretarius Ad. tamen quaerit an casus ferat ut Coetus normas edat communes de decretis generalibus vel tantummodo pro decretis singularibus.

Ill.mus primus Consultor notat decretum generale magis ad legem accedere quam ipsi decreto, quod tamen — animadvertit Rev.mus Secretarius Ad. — non est lex.

Rev.mus secundus Consultor sententiam tenet sufficiens esse tantummodo pro decretis singularibus normas communes praevidere et non pro decretis generalibus.

Ad can. 6 § 1 de procedura administrativa quod attinet, idem Rev.mus Dominus animadvertit normam — pro iis quae nobis nunc interest — superfluum videri, ideoque tolli posse aut inserendam esse in titulo de potestate regiminis cum omnes actus illius potestatis respiciat.

Placet omnibus aliis Consultoribus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ad totam materiam ordinandam, a distinctione inter decretum et rescriptum initium sumatur. Ideoque principium definiatur ita ut decretum vocetur quod natura sua datur a Superiore vel a competenti auctoritate non ad alicuius petitionem — licet quandoque detur ad petitionem —; rescriptum, e contra, vocatur quod datur ad petitionem, licet quandoque non petatur.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit difficultates exurgere ex eo quod conceptus actus administrativi non habetur. Eidem insuper — sicut etiam Ill.mo tertio Consultori — non placet locutio « natura sua ».

Rev.mus Secretarius Ad. instat pro distinctione ab ipso proposita, ut nempe gratiae concessio rescriptum vocetur et ut provisio quae non est gratiae concessio decretum appelletur, ita ut actus administrativi duplicis sint speciei.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit omnem potestatis administrativae vel regiminis actum hodie decretum vocari. Sunt casus permulti in quibus ius suum quis postulat quod per decretum agnoscitur; non agitur

in casu de gratiae petitione neque de eiusdem concessione, sed de vera et propria iuris agnitione quae tamen ad alicuius petitionem fit.

Rev.mus Secretarius Ad. adhuc instat quia, cum de rescripto agitur, rationum veritas ab ipso oratore probari deberet, dum pro decretis rationes obiectivae et opportunitatis pro ipsius decreti promulgatione ad Superiorem pertinent.

Rev.mus secundus Consultor adhuc notat in collatione necessaria haberi quidem petitionem, tamen collationem per decretum fieri; insuper quod per modum rescripti conceditur non semper gratiam esse; altera ex parte quandoque gratia non ad petitionem conceditur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: rescriptum est actus administrativus competentis auctoritatis quo natura sua ad petitionem alicuius gratia conceditur, etsi quandoque *Motu proprio* concedatur.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut formula ampliatur verbis « etsi etiam motu proprio concedi possit »; loco « natura sua » dicatur « de se ».

Rev.mus Secretarius Ad. notat dicere « de se » nimis modum loquendi philosophici ordinis videri.

Ill.mus quintus Consultor notat definitionem in iure semper periculosam esse, neque inserenda in iure esse verba « natura sua ».

In iure canonico habetur quod dicitur « héritage » ex Medio Aevo ad terminologiam quod attinet, quae non bene componitur cum conceptu iuris publici et administrativi nostrae aetatis. Dubitat an distinctio inter actum positum ad petitionem et non ad petitionem, a Rev.mo Secretario Ad. proposita, omnes potestatis administrativae actus comprehendere possit, uti ex. gr. privilegium.

Nos conamur antiquas distinctiones servare et eas compellimus ad novas categorias continendas. Habetur insuper quaestio de criterio actus formae necnon intentionis: iuridice tamen praeferrere debet illud formae prae illo intentionis.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an criterium formae absolutum esse possit.

Ill.mus primus Consultor notat inter criteria proposita optionem difficillimam evadere, neque totam traditionem canonicam negligere possibile esse. Ceterum procedura administrativa huius temporis redigi nequit formae traditionali accommodata.

Rev.mus Secretarius Ad. replicat considerari debere et formam et sensum seu intentionem.

Rev.mus secundus Consultor tenet in primis rem ipsam considerandam esse et tantum postea de terminologia technica tractandum esse.

Ideoque videndum est: de actibus executivis singularibus; de actibus exsecutivis iudicialibus (si ex rogatione proceditur); de actibus exsecutivis

qui motu proprio vel proprio marte ponuntur; de actibus potestatis administrativae qui legem applicant, id est cum auctoritas ad petitionem agit, ad actus administrativos singulares ponendos quod attinet.

Ill.mus tertius Consultor tenet dispensationem in casu particulari in bonum commune dari.

Adhuc de actibus gratiae et motu proprio datis sermonem facimus, quia in nobis praestans est conceptus principis et domini, qui tamen in hodierna rerum condicione amplius sustineri non videtur.

Rev.mus quartus Consultor adnotat ius canonicum propria indole specifica pollere et casus haberi in quibus nomenclatura iuris civilis applicari nequit.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit etiam iuris concessionem et non tantum gratiae aliquando, hodie, fieri per rescriptum.

Iuxta Ill.mi quinti Consultoris sententiam ius canonicum suam specificitatem servat, et non iuris civilis lineamenta effingere seu imitari debet. In iure canonico enim considerationes ordinis superioris suum momentum habent, quod numquam in iure civili accidit. Ecclesiae vita eiusque actus omnes directe vel indirecte ad bonum commune tendunt.

Rev.mus Secretarius Ad., hucusque dicta colligendo, duplicem formulam proponit:

I) « Decretum intelligitur actus administrativus competentis auctoritatis quo aliqua fit provisio canonica quae natura sua non supponit petitionem alicuius antea factam; rescriptum ... quo conceditur dispensatio, privilegium aliave gratia, itemque licentia, de se ad petitionem alicuius ».

II) « Quaecumque concessio privilegii, dispensationis aliisque gratiae itemque licentiae, fit in forma rescripti, quod de se datur ad petitionem alicuius; quaecumque alia provisio canonica, quae natura sua non supponit petitionem alicuius in forma decreti datur ».

Omnibus placet prima formulatio, excepto Ill.mo tertio Consultore, qui vult ut in actis referatur eandem tantum iuxta modum ei placere.

\* \* \*

Sessionis labor prosequitur cum examine schematis canonum de procedura administrativa qui, iam ad Episcopos pro observationibus missi sunt.

Videndum est utrum aliquid in illis canonibus habeatur quod decreta vel rescripta respiciat, prae oculis habita etiam quaestione quae in superiore Sessione ab Ill.mo quinto Consultore agitata fuit (cfr. pag. 36 Relationis originalis Sessionis XIae [cfr. *Communicationes* 22 (1990) 256]).

Ill.mus Vir quaesivit de possibilitate inserendi in normis generalibus seu communibus praeterquam aliquos canones de rescriptis, etiam can. 4 § 1, can. 5 § 1, can. 6 § 1; necnon can. 7 § 1 de eadem procedura administrativa.

*Canon 4*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat, quorum iura laedi possunt; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum et peritum constituendi.

Rev.mus Secretarius Ad. notat hunc canonem decreta generalia etiam respicere, sed magis applicari decretis vel praeceptis particularibus. Forsan servandus est, sed ubi agetur de decretis, certo non in «de rescriptis».

Rev.mus secundus Consultor tenet textum prouti iacet pro omnibus actibus administrativis applicari non posse; sat enim diversa in uno eodemque canone permixta sunt (de decreto ferendo, de recursu administrativo, etc.). Ad summum retineatur tantum comma usque ad verba «iura laedi possunt», ad decreta ferenda quod attinet.

Rev.mo sexto Consultori restrictiones quae in textu sequuntur placent etsi aliquae evidentes sint, sed retineri quaeunt.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur:

«Antequam decretum administrativum ferat auctoritas omnium adiunctorum notitiam acquirat atque de necessitate et opportunitate decreti probationes habeat et, quatenus id possibile sit, eos audiat quorum iura laedi possint». Caetera in textu canonis cadunt.

Placet propositio.

*Canon 5*

§ 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtinendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor recurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superiorem pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint, tamquam si eo die per decretum prolata sit.

Conferantur etiam ea quae in superiore Sessione dicta sunt in pag. 33 Relationis originalis Sessionis XIae [cfr. *Communicationes* 22 (1990) 254].

Rev.mus Secretarius Ad. notat potius de recursu adversum decretum quam de decreto ferendo agi, ideoque ad materiam de decretis particularibus ferendis textum non spectare.

Rev.mus secundus Consultor tenet § 1 non convenire cum nostro decreti conceptu. Illi magni placet normam de decreti urgentia separatim tractari.



Rev.mus Secretarius Ad. animadvertit nos, si loquimur de petitione ad decretum habendum, terminos rescripti ingredi.

Ill.mus quintus Consultor sublineat ambiguitatem adesse inter recursum et petitionem.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. nostra petitionem interesse et non recursum. Sed si petitio datur, rescriptum habetur et non decretum. Si terminus ponitur ita ut petitionis renovatio una cum recurso possibilis reddatur, in titulo de rescriptis inscribatur.

Idem Rev.mus Relator insuper animadvertit recursum non dari pro gratia obtinenda, quod negat Rev.mus secundus Consultor, quia si, ex gr., Episcopus concessionem negat, quis recurrere potest? Rev.mus Secretarius Ad. substinet, in casu, de nova petitione et non de recurso agi. Proponit insuper ut ista § 1 in normis communibus non inseratur, cum sufficiat quod in can. 7 et ss. de rescriptis habetur.

Rev.mus quartus Consultor obicit non sufficere, si agitur de petitione vel recurso ad Sanctam Sedem, ea quae in canone continentur.

In fine disceptationis omnes concordant ut canon omittatur.

#### *Canon 6*

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet rem per se patere, tamen aliqua non carere utilitate. Utile enim forsitan est ut in mente principium revocetur; potest tamen etiam omitti tamquam res stricte ad nos non pertinens.

Placet omnibus ut omittatur.

#### *Canon 7*

§ 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

Textus uti est tantum pro decretis particularibus valet.

\* \* \*

Gressus fit ad considerationem canonum de rescriptis, uti in fasciculo mensis aprilis 1973 exstant<sup>1</sup>, ad videndum si aliquae normae quae ibi inveniuntur pro omnibus valeant actibus administrativis singularibus.

<sup>1</sup> Cfr. *Communicationes* 22 (1990) 264-268.

*Canon 1 (novus)*

Rescriptum est actus auctoritatis executivae competentis ad petitionem alicuius ad normam iuris editus, respiciens sive quae fieri debet provisio administrativa, sive quae conferri potest gratiae.

Textus, iuxta superius dicta, amplius non sustinetur ideoque cadit, et eius loco ponendus est textus supra propositus de rescripti definitione.

*Canon 2 (CIC 36)*

§ 1. Rescriptum a quacumque auctoritate, intra fines suae competentiae agente, impetrari libere potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

(§ 2. Rescriptum omne genus a competenti auctoritate concessae etiam censura irretitis validum est, salvo praescripto can. ...etc.) ».

Rev.mus Secretarius Ad. tenet eum valere de rescriptis tantum; nam impetrare supponit petitionem ideoque de gratia agitur.

Rev.mus secundus Consultor tenet quaestionem de habilitate impetrandi illam de rescriptis transcendere.

Rev.mo quarto Consultori placet quia agitur de habilitate sensu positivo expressa et non negativo sicut erat antea.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « Rescriptum, quamlibet gratiam continens, a quacumque ... ». Sed norma tantum pro rescriptis valet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut expressio « a quacumque ... agente » tollatur et etiam verbum « libere », quia iam definitum est rescriptum esse actum competentis auctoritatis.

Placet omnibus.

Ill.mus quintus Consultor notat quaestionem esse potius obtinendi quam petendi, cum omnes de se petere possint.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. impetrare obtinere significare et non petere.

Omnes, denique, conveniunt sufficere § 1. Cadit ergo § 2.

*Canon 3 (CIC 37)*

Rescriptum gratiae impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusden acceptionem, nisi aliud ex apposis clausulis appareat.

Rev.mus Secretarius Ad. notat in textu consulto « rescriptum gratiae » dici, cum differat a rescripto iustitiae quod in processibus habetur. Sed cum de norma generali agatur pro omnibus administrativis actibus melius

est ut dicatur « actus administrativi », vel « Rescriptum — tantum enim rescriptum respicit et non decretum — cuiusvis gratiae, quae ordinem iudiciale non respicit... ».

Ill. mus quintus Consultor animadvertit etiam rescriptum iustitiae actum esse administrativum et quodammodo mensura vel gratiae concessio, uti ex. gr. rescriptum quo iudex conceditur specialis.

Rev. mus Secretarius Ad. insistit ut distinctio inter rescriptum gratiae et iustitiae servetur, quia hoc ultimum etiam praeter eius assensum dari potest, et proponit ut dicatur « Rescriptum gratiam continens, non ad iudicium sese referentem, potest impetrari... ».

Ill. mus tertius Consultor animadvertit verbum « iudicium » rem minime clarificare.

Tunc Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « rescriptum ad ordinationem iudicii non sese referens ». Placet.

#### *Canon 4 (CIC 38)*

Rescriptum, quo provisionis gratiae concessio fit sine interiecto exsecutore, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

Canon admitti potest pro omnibus actibus administrativis; et Rev. mus Secretarius Ad. proponit sequentem formulationem: « Actus administrativi quamlibet provisionem continentes qui fiunt sine...ceteri... ».

Rev. mus secundus Consultor praefert ut forma singularis adhibeatur: « Actus administrativus quo provisio quaelibet fit sine interiecto ... ».

Tamen post non paucas considerationes, Rev. mus Secretarius Ad. animadvertit canonem valere non posse pro omnibus actibus administrativis, quia, ex. gr., actus administrativus etiam praeceptum esse potest et praeceptum valet tantum a momento quo intimatur. Ideoque textus valet tantum pro rescriptis gratiisque et textus reintegratur in titulum de rescriptis.

Placet propositio.

#### *Canon 5 (CIC 39)*

Conditiones in rescriptis tunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas si, dummodo, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Sola rescripta textus respicit, quia in decreto conditiones numquam apponuntur. Placet.

*Canon 6 (CIC 40-42)*

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen agatur de rescripto gratiae quod « motu proprio » datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis.

Manifeste canon sola rescripta respicit. Placet.

*Canon 7 (CIC 43)*

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Summum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum fuit.

Textum valere de solis rescriptis tenet Rev.mus Secretarius Ad.; nam dicitur « gratia ... denegata », ideo quia petita.

Rev.mus secundus Consultor tenet de norma generali agi cum quaestionem competentiae respiciat.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. ad decreta quod attinet valere can. 10 (CIC 204) de potestatis regiminis exercitio.

Rev.mus secundus Consultor quaestionem movet de ordine stabiliendo circa decreti ferendi potestatem ut unitas administrationis in dioecesibus salvetur. Sunt enim dioeceses in quibus plures Vicarii Generales et Vicarii Episcopales exstant. Oportet ut normae, sicut pro potestatis gratiosae exercitio, quam maxime dentur definitae.

Rev.mus quartus Consultor animadvertit quaestionem a Rev.mo secundo Consultore motam actualem esse et magnam incertitudinem gignere ex eo quod Vicarii Episcopales saepe caractere episcopali donantur.

Rev.mus Secretarius Ad. notat in canonibus a coetu de Sacra Hierarchia paratis Vicarium Episcopalem tamquam Ordinarius considerari ideoque non Vicario Generali sed immediate Episcopo subest.

In fine discussionis convenitur ut textus canonis in « de rescriptis » maneat.

*Canon 8 (CIC 44)*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta

autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario Generali vel Vicario Episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari.

Ad sola rescripta applicatur.

#### Canon 9 (CIC 46)

Rescripta, etiam *Motu Proprio* concessa, personae de iure communi inhabili ad consequendam provisionem gratiamve de qua agitur, itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Uti est canon servari potest pro rescriptis; non valet enim pro omnibus actibus administrativis. Attamen Rev.mus secundus Consultor notat plura enumerari elementa, uti legitima consuetudo, statutum peculiare, iura quaesita, quae omnia etiam in decretis ferendis consideranda sunt; decretum enim contra legitimam consuetudinem, contra statutum peculiare necnon contra iura alteri quaesita non sustinetur.

Ill.mus quintus Consultor proponit ut textus uti norma communis pro rescriptis, in eis quae circa inhabilitatem dicuntur, servetur; et quae de consuetudine, de iuribus quaesitis atque de statutis peculiaribus habentur, ut normae ad omnes administrativos actus applicandae proponantur.

Post perlongam disceptationem et varias propositiones a Rev.mis Secretario Ad. et secundo Consultore necnon ab Ill.mo quinto Consultore factas, convenitur ut textus prouti iacet solis rescriptis applicetur. Novus tamen canon adiungatur pro decretis, qui haec dicat: «Decretum ... datum ab eo qui tantum gaudet potestate executiva est invalidum si est contrarium legibus, consuetudinibus ... etc.» . Placet.

#### Canon 10 (CIC 47)

Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Textus ad omnes actus administrativos applicari potest.

Ill.mus primus Consultor quaestionem movet circa expressionem « aut rei de qua agitur » quae ipsi nimis lata videtur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. rem tantum ad errorem sese referre.

Ill.mus quintus Consultor notat, si textus ad omnes actus administrativos applicatur, dici non posse « conceduntur » et Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « cui dantur vel a qua eduntur », vel melius « actus administrativus ... cui datur vel a qua editur ... ». Placet.

#### *Canon 11 (CIC 48)*

§ 1. Si contingat ut de una eademquae re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevallet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiariora aut generaliora, prius tempore praevallet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescribentes.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet normam tantum pro rescriptis valere et quaerit num norma similis facienda sit pro decretis.

Rev.mus secundus Consultor tenet unam eademque causam tractari posse sive per modum decreti sive modo diverso. Surgit ideo quaestio quaenam decreta praevaleant. Sub titulo de decretis faciendus est textus qui de decretis contrariis possibilitate agat.

#### *Canon 12 (CIC 49)*

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

Textus pro omnibus actibus administrativis valet, ideoque loco « rescripta »... dicatur « actus administrativus ... ». Placet.

#### *Canon 13 (CIC 50)*

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Omnes conveniunt ut textus in partes dividatur et dicatur, quod ad rescripta attinet,: « Rescripta quae ad lites referuntur, aut iura aliis quaesi-

ta laedunt, aut adversantur legi, in commodum privatorum strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam ».

Ad decreta vero dicatur: « Decretum atque praeceptum interpretanda sunt ad normam can. 2 (de actibus administrativis); in dubio, ea quae ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendasve attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, strictam recipiunt interpretationem: coetera omnia latam ».

*Canon 14 (CIC 51)*

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agatur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oporteat.

Textus valet tantum pro rescriptis - animadvertit Rev. mus Secretarius Ad. - contra Rev. mi secundi Consultoris sententiam qui tenet etiam decreta respicere. Nam, si per decretum S. Sedis aliqua ad officium nominatio fit, agitur de re publica de qua Episcopus dioecesanus scire omnino debet.

*Canon 15 (CIC 52)*

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Valet pro rescriptis tantum.

*Canon 16 (CIC 53)*

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit, earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.

Norma communis esse potest. Dicatur « actus administrativi... » loco « rescripti ». Placet.

*Canon 17 (CIC 54)*

§ 1. Si in rescripto committatur merum executionis ministerium, executio rescripti denegari non potest, nisi aut manifesto appareat rescriptum esse nullum vel sustineri non posse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas; si tamen is in cuius favorem rescriptum est concessum adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensionem futura sit provisionis gratiae concessio, exsecutor executionem intermittat atque de re statim certiore faciat rescribentem.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere aut denegare.

*Quoad* § 1: Post disceptationem, omnes conveniunt ut duplex detur regula: una pro rescriptis, altera vero pro omnibus actibus administrativis.

*Quoad* § 2: Sola rescripta respicit.

*Canon 18 (CIC 55)*

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentielles in litteris appositae impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est executio.

Valet pro omnibus actibus administrativis.

*Canon 19 (CIC 56)*

Executio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Valet de omnibus actibus administrativis.

*Canon 20 (CIC 57)*

Rescripti exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Textus potest esse norma generalis.

*Canon 21 (CIC 58)*

Rescripta quaelibet executioni mandari possunt, etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Textus valere potest uti norma generalis.

*Canon 22 (CIC 59)*

Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum executione erraverit, iterum eadem executioni mandare.

Uti norma generalis textus poni potest.

*Canon 23 (novus)*

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.



Textus tantum pro rescriptis valet.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem movet de sacerdote qui dispensationem ab oneribus sacerdotalibus obtinuit et nihilominus ea uti non intendit, sed vult in ministerii exercitio proseguere.

Dispensatio ab oneribus, in casu proposito, est quidem rescriptum sed simul decretum ad reductionem ad statum laicalem quod attinet, et non pendet a voluntate eius qui rescriptum obtinuit.

Iuxta Rev.mi secundi Consultoris sententiam in toto est decretum, etsi dispensationem includit.

*Canon 24 (CIC 79)*

Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

Valet pro solis rescriptis.

*Canon 25 (CIC 60)*

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

*Quoad § 1:* Valet uti norma generalis, ideoque textus sic sonat: «Revocatio actus administrativi per alium administrativum actum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur personae pro qua datus est». Placet.

*Quoad § 2:* Regula hic posita de iuribus quaesitis valet et remanere debet etiam pro rescriptis, tamen non est norma generalis.

*Canon 26 (CIC 61)*

Per cessationem rescribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex apposis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Regula debet pro solis rescriptis remanere. Alia regula habetur pro decretis singularibus et pro praeceptis (cfr. can. 2 § 1 «de praeceptis»), vi potestatis regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi aliud constet; cessant resolutio iure praecipientis, nisi aliud expresse caveatur.

*Canon 27 (CIC 62)*

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, servantur in super praescripta canonum qui sequuntur.

Pro solis rescriptis regula valet.

\* \* \*

Iuxta ea quae superius considerata et statuta sunt, Rev.mus Secretarius Ad. redactionem quarundam normarum pro omnibus actibus administrativis communi Consultorum examini subicit. Cui textui canonum nova ex parte redactio et ordo systematicus de decretis praeceptisque singularibus necnon de rescriptis sequetur.

Rev.mus sextus Consultor notas quasdam de administratione ecclesiastica ad Consultorum considerationem proponit.

« 1. Actus administrativi ipsius Papae non subsunt normis positivis canonicis, quatenus sunt actus Papae. Ipse potest utique statuere normas de conditionibus requisitis ad petendum et obtinendum actum ipsius, ut quatenam in petitione exprimi debeant ut actus validus haberi possit, quatenam personas ipse excludere intendit a capacitate obtinendi actum, etc.; quae tamen normae, potius quam actum ipsius Papae, personas ipsum petentes respiciunt.

2. In iure Codicis de variis modis quibus normae canonicae necessitatibus variis aptari possunt - ut sunt gratiae, dispensationes, privilegia, licentiae etc. - ipsa quidem possibilitas normas canonicas variis necessitatibus personarum, temporum et locorum aptandi, ad ipsam naturam iuris Ecclesiae pertinet. Iam a primis saeculis haec possibilitas exsistebat, nondum autem in varias notiones iuridicas distincta, quae omnes comprehendebantur una notione « oikonomiae » seu « dispensationis » sensu lato. Egregium exemplum modi antiqui concipiendi flexibilitatem iuris canonici praebet « Prologus » Ivonis Carnutensis, ostendens qua ratione regulae canonicae moderandae sint ab Episcopo nunc « secundum iustitiam », nunc « secundum misericordiam ».

3. Conceptio autem, quae subest iuri Codicis, huiusmodi nempe adaptationes iuris esse gratias, privilegia, dispensationes etc.

Principis, nequaquam pertinet ad traditionem immutabilem Ecclesiae neque ad ipsam naturam iuris canonici; sed correspondet conceptioni antiquae Principis eiusque gubernii. In tali conceptione vel ipse ordo iuridicus civitatis considerabatur ut privilegium, a Principe concessum.

Hodie nonnisi in facultate Principis concedendi quosdam titulos honorificos et unam alteramve exceptionem a lege communi antiqua conceptio persistit; et etiam haec in dies minoris aestimatur pretii.

4. Paucissimi sunt actus administrationis ecclesiasticae qui sensu moderno « gratiae » vel « privilegia » possunt vocari, nedum considerari. Huiusmodi sunt actus quibus conceduntur tituli honorifici, oratoria privata, et forte quaedam alia huius generis.

Mentio earum rerum in novo iure opportune omitti posse videtur; et forte non tantum in iure.

5. Reliqui actus administrativi subesse debent normis iuridicis stabilibus et publicis, et non, ut « gratiae » vel « privilegia », dependere a benevolentia eorum, qui exercent potestatem executivam. Ad defectus administrationis corrigendos, requiruntur:

— claritas et uniformitas quod attinet ad condiciones ad certum decretum obtinendum requisitas;

— claritas et uniformitas quod attinet ad res in petitionibus exprimendae;

— claritas et uniformitas quod attinet ad tempus intra quod decisio fit et petentibus communicatur;

— certitudo mutationes in his rebus non introduci posse nisi postquam iis, quorum interest — ut officialibus — tempestive communicatae fuerint.

6. Cum hodie permulta, olim Sedi Romanae reservata, auctoritatibus localibus relinquuntur, unde numerus rescriptorum Romanorum valde reductus est; cum praeterea media communicationis moderna multo faciliora et securiora sint quam antea; cum demum pleraque rescripta non, ut olim, res temporales respiciant, ut beneficia, sed vitam spiritualem fidelium, proinde in ecclesiis particularibus non per rescripta, sed potius in contactu personali negotia huiusmodi tractentur; opportunum videtur ut ius de rescriptis ad formam simpliciore reducatur, quin ad regulas nimis minutas descendat. Forte idem valet de iure de dispensationibus et de privilegiis.

7. In praxi hodierna quidam actus administrativi formaliter quidem sunt actus ipsius Papae, ut solutiones matrimoniorum et dispensationes a lege coelibatus, substantialiter autem a Dicasteriis Romanis deciduntur. Haec praxis partim saltem nititur falsa conceptione potestatis vicariae, ut lucide probavit Urbanus Navarrete, *Potestas vicaria Ecclesiae. Evolutio historica conceptus atque observationes attenta doctrina Concilii Vaticani II*, in: *Periodica* 60 (1971) 415-486.

Videtur convenire ne ipsi Papae attribuantur actus, qui revera ac proprie non sunt actus eius. Quod ceteroquin valet de pluribus aliis actibus administrativis Curiae.

8. Quod demum ad dispensationes attinet, multum simplicitati iuris proderit si non condantur leges, a quibus semper dispensatur, vel in ipsa lege statuere condiciones sub quibus eadem non urget ».

Rev.mus sextus Consultor, ad n. 4 praesertim quod attinet, animadvertit nostrum concipiendi modum sive auctoritatis sive eiusdem exercitii, sapere conceptum mediae, quae dicitur, aetatis, ubi, nempe, princeps fons erat totius iuris. Hodie, vero, si quis in conditionibus versatur ut dispensatione frui possit, ius eam obtinendi habet; nequit igitur de gratia sermo institui.

Ill.mus quintus Consultor notat characterem gratiae alicuius provisionis recursus possibilitatem tollere.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. etiam in iure civili adhuc institutum gratiae vigere.

Ill.mus tertius Consultor adiungit semper ambitum discretionale necnon iudicium personale remanere, tamen dispensationem normalem seu communem gratiam vocari non debere.

Replicat Ill.mus quintus Consultor nimis difficile evadere casus determinare in quibus superioris discretio applicari potest.

Ex altera parte — notat Rev.mus Secretarius Ad. — difficile est verbum «gratia» et privilegium suppressere.

Instat Rev.mus sextus Consultor unumquemque cognoscere debere normas pro dispensatione obtinenda, scire si et quomodo datur, ita ut omnes aequali iure tractentur.

Ill.mus primus Consultor notat observationes a Rev.mo sexto Consultore factas latius patere et non tantum rescripta sed potestatis exercitium respicere. Sic, ex. gr., in n. 1 exprimitur regula ad confusionem vitandam inter actionem vel actum Papae et Dicasteriorum. Et suppressi deberet distinctio inter adprobationem in forma specifica et in forma communi.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de hoc agi in coetu de Sacra Hierarchia. Tamen, affirmatur ab Ill.mo quinto Consultore, aliquid saltem dicere in canonibus de decretis necessarium est.

Rev.mus quartus Consultor notat approbationem in forma communi tantum indicare Summum Pontificem esse de re instructum et hoc utile videri ut coordinatio habeatur inter Dicasteria. Cum adprobatione in forma communi actus Dicasterii remanet — et debet remanere — ut actus Dicasterii, dum si probatur in forma specifica actus potius Pontificis evadit. Insistendum potius est ne Dicasteria instructionibus leges mutant. Et hoc esset accurate observandum ex parte omnium Officiorum Romanae Curiae.

Rev.mus secundus Consultor dicit esse in voto ut semper bene et perspicue distinguatur inter decretum generale et instructionem.

Ad decretum generale eliciendum competens est organum executivum si ad hoc per legislatorem habile redditur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in materia nostri Coetus non agi de principiis sed potius de praxi.

Nova canonum redactio a Rev.mo Secretario Ad. parata Consultorum examini subiicitur et simul considerantur propositiones a Rev.mo sexto Consultore factas ad simpliciores formas canones de normis communibus redigendos.

## Caput I - NORMAE COMMUNES

### *Canon 1*

Actus administrativus quilibet, sive sit decretum aut praeceptum sive sit rescriptum, elici potest, intra fines suae competentiae, ab eo qui potestate executiva gaudet.

Ill. mus tertius Consultor praeferret ut dicatur «edi» loco «elici».

Etiam Rev. mus septimus Consultor tenet verbum «elici» nimis linguam philosophicam sapere.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. legem proprie edi et actum proprie elici.

Ill. mus quintus Consultor quaerit an verba «intra fines suae competentiae» debeant remanere. Replicat Rev. mus Secretarius Ad. expressionem non nocere. Pacificum est Episcopum in sua ditione facultates sui officii proprias habere, tamen expressio tamquam iam in usu recepta servari potest.

Propositio Rev. mi. sexti Consultoris: «Actus administrativus singularis est actus potestatis executivae, qui fit decreto, praecepto aut rescripto».

Rev. mo Secretario Ad. magis placet formulatio antecedens, quia hic textus non est comprehensivus omnium actuum administrativorum singularium, uti, ex. gr., sunt actus venditionis.

Rev. mus secundus Consultor animadvertit in hoc textu iuxta poni simpliciter decretum et praeceptum, quod non fit in primo textu.

Et hic est praeferendus.

Ill. mo tertio Consultori placet forma simplicior a Rev. mo sexto Consultore proposita.

Ill. mus quintus Consultor praefert formulationem priorem quae characterem magis normativum habet, dum hic textus magis sapit definitionem. Proponit ut verba «intra fines suae competentiae» supprimantur, quia ex se iam patet aliquem ultra suae competentiae fines agere non posse: actus nullus esset.

Per maioritatem suffragiorum textus remanet uti est.

### *Canon 2*

Actus administrativus quicumque intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debet ad alios casus praeter expressos extendi.

Rev.mus Secretarius Ad. affirmat in canone agi de interpretationis norma administrativi actus et non tantum de significatione verborum. Si titulus « de verborum significatione » in fine laborum Commissionis datur, tunc videbitur si casus ferat ut etiam illic dicendum sit. Multa sunt quae in « de verbis significationem » transferri possunt, uti, ex. gr., definitio legis, actus administrativi, praecepti, rescripti etc., tamen res non opportuna videtur et in praxi difficilis evadit. In codificatione orientali titulus « de significatione verborum » — notat Rev.mus secundus Consultor — inscriptus est, sed res quam maxime fragmentaria apparet.

In fine disceptationis convenitur ut res sicuti est remaneat.

### *Canon 3*

In dubio, actus administrativi qui ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendasve attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, strictam recipiunt interpretationem; ceteri omnes latam.

In disceptatione Consultores in duplicem adeunt sententiam, quorum prima tenet melius esse ut regula distincta pro decretis praeceptisque et pro rescriptis conficiatur; altera vero tenet textum servandum esse inter normas communes de actibus administrativis singularibus.

Prima sententia insuper tenet ut norma praevideatur pro rescriptis datis contra legem in privatorum commodum, quae strictae interpretationi subesse debent. Tandem aliquando post disceptationem, omnes conveniunt ut canones distincti pro decretis praeceptisque et pro rescriptis fient.

Textus canonis, mutatis verbis « actus administrativi » cum « decretum praeceptumve », ceteris in singulari forma redactis, ad decreta transfertur.

Propositioni Rev.mi sexti Consultoris provisum est per remissionem canonis ad normas de decretis.

### *Canon 4*

Actus administrativus non fit irritus ob errorem in nomine personae cui datur vel ad quam attinet vel a qua editur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Ill.mus quintus Consultor difficultatem movet ex eo quod actus administrativus non fit irritus per errorem circa rem de qua agitur. Regula in canone posita valet quidem pro rescriptis in quibus expositio in errore incidere potest, sed cogitari nequit decretum validum quod errorem circa eius obiectum contineat.

Omnes cum observatione Ill.mi quinti Consultoris conveniunt et tex-

tus ad rescripta transfertur, mutatis verbis «actus administrativus» cum «rescriptum» et suppressis «ad quam attinet vel».

Ad propositionem Rev.mi sexti Consultoris quod attinet: Pertinet ad normas generales de actibus iuridicis, scilicet: Error in nomine personarum, locorum aut rerum actum non facit irritum, si nulla sit de substantia actus dubitatio. Non liquet ad quid requiratur iudicium Ordinarii, ubi nulla est dubitatio.

Rev.mus Secretarius Ad. notat, si quaestio datur, Ordinarium eam dirimere debere. Et principium pertinet ad leges etiam et non tantum ad actus iuridicos.

Ill.mus tertius Consultor dicit observationem circa systematicam iustam esse. Actus administrativus est actus iuridicus et ibi de errore agi debet.

Rev.mus septimus Consultor animadvertit hic agi de errore materiali, dum in «de actibus iuridicis» de negotio valido vel non ex intellectus et voluntatis defectu agi, nempe de natura ipsa negotii.

Ill.mus quintus Consultor tenet hic de formae vitio et non de substantia alicuius actus agi. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in titulo «de actibus iuridicis» de actu negotio tractatur, dum hic de actu instrumento.

Rev.mus secundus Consultor tenet respiciendum esse normarum finem: norma haec tradita tutelam specificam pro actibus auctoritatis administrativae intendit, minime pro actibus inter privatos positos, in quibus semper altera pars respici debet. Et norma haec nullimode ad actus inter privatos applicari potest. Quod tenet etiam Rev.mus Secretarius Ad.

Ill.mus quintus Consultor dicit se habere multas perplexitates ad hoc punctum quod attinet.

Rev.mus septimus Consultor tenet per se textum canonis solis rescriptis et non decretis applicari debere, quia pro decreto fere non intelligitur error circa rem ipsam decreti.

Post disceptationem omnes conveniunt ut canon 3 «de normis communibus» ad canones «de rescriptis» transferatur, sicuti iam superius provisum erat.

#### *Canon 5 (qui fit 9)*

Actus administrativus, etiam si sit rescriptum *Motu Proprio* concessum, conferens provisionem vel gratiam personae de iure communi inhabili ad eandem consequendam, itemque editus contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, non sustinetur, nisi expressa derogatoria clausula apponatur.

Placet ut norma communis pro omnibus actibus administrativis.

Rev.mus sextus Consultor quaerit an Vicarius Generalis clausulam derogatoriam apponere possit.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. eum posse, nisi res Episcopo reservetur; et Episcopum posse pro suis legibus necnon pro legibus generalibus.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut adiciantur verba « intra fines suae competentiae », sed Rev.mus Secretarius Ad. praeferret ut dicatur « legitime apponatur » ad indicandum clausulas apponi posse ubi possibile est. Placet.

Propositio Rev.mi sexti Consultoris dicit: *Motu Proprio*, ni fallor, agit solus Papa. Hic non agitur de actibus Papae.

Actus administrativus singularis nequit esse contra ius quaesitum.

« Expressa clausula derogatoria » est etiam « contrariis quibuslibet non obstantibus ». Hic autem requiritur clausula specialis. Quare proponitur canon:

« Actus (administrativus singularis?) conferens provisionem personae de iure inhabili ad eandem consequendam, vel editus contra loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, non sustinetur, nisi legitima dispensatio apponatur ».

Rev.mus Secretarius Ad. observat etiam episcopos *Motu Proprio* agere posse et quidem etiam contra ius quaesitum. Hic de omnibus actibus administrativis agitur et non solum de actibus Summi Pontificis et quidem non tantum de actibus *Motu Proprio* datis.

Ill.mus tertius Consultor animadvertit expressionem « *Motu Proprio* » clausulam esse formalem et non materiale, esse quasi fictionem iuris, quia gratia etiamsi petita conceditur tamquam petita non fuisset.

Instat Rev.mus Secretarius Ad. de norma agi generali omnibus actibus communi. Textus — uti est — non nocet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut verbum « communi » post « de iure » tollatur, quia aliquis inhabilis potest esse per ius particulare. Placet.

Ill.mus quintus Consultor proponit ut etiam « de iure » tollatur, quia sufficeret verbum « inhabilis ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. aliquem inhabilem de facto posse esse, ideoque melius est ut sermo fiat de inhabilitate iuridica.

Rev.mus Secretarius Ad. adhuc notare vult bene esse ut textus remaneat sicuti est; non enim sufficit clausula « contrariis quibuslibet non obstantibus », quia contra ius quaesitum non valeret; neque ad sola rescripta canon restringi potest quia manifesto respicit etiam decreta, nominationes etc.

Ill.mus tertius Consultor proponit ut tollantur verba « etiam si sit rescriptum *Motu Proprio* concessum », quia potius interpretationem quam legislationem ipsam respiciunt.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad., manente dubio, per comparationem cum antiquo iure melius esse ut remaneant. Si tollantur necessarium erit alium canonem de rescriptis redigere.



Instat Ill.mus quintus Consultor, una cum Ill.mo tertio Consultore, rem non mutare si verba supprimuntur.

Rev.mus secundus Consultor tenet verba servanda esse, tamquam in contextu maximi momenti essent. Formulae gratiae, enim, in forma « motu proprio » datae in iure vigenti maiorem obtinent stabilitatem quam aliae: dum in nostro canone aliis aequiparantur, ideoque, hic proprium locum tenet.

Ill.mus tertius Consultor quaerit quid significet expressio « non sustinetur ». Respondet Secretarius Ad. idem valere ac « effectum non habet » saltem pro ea parte quae iuri quaesito est contraria, tamen eius loco dici potest « effectum non habet », vel « efficacitate iuridica caret » (tertius Consultor). Seligitur « effectum non habet ».

#### *Canon 6 (qui fit 4)*

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritatis eundem actum edentis transmissa.

Textus a Rev.mo sexto Consultore propositus haec habet: « Exsecutor actus administrativi valide agere nequit antequam auctoritatis eundem actum edentis mandatum receperit ».

Rev.mus Secretarius Ad. tenet textum a Rev.mo sexto Consultore propositum iuridice non sufficienter clarum esse.

Ill.mo tertio Consultori sufficere videtur ut dicatur ut mandatum scripto detur.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet nimio rigore hoc modo formulam affici, si alii modi pro mandato concedendo excluduntur; sunt enim saepe casus urgentiae vel motivis pastoralibus exceptionalibus innixi qui maiorem elasticitatem postulant.

Textus remanet sicuti est.

#### *Canon 7 (qui fit 5)*

Exsecutor actus administrativi, cui committitur merum executionis ministerium, executionem huius actus denegare non potest, nisi manifesto appareat eundem actum esse nullum aut sustineri non posse; si tamen is cui actu administrativo provisio vel gratia confertur adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensionem futura sit provisionis gratiaeve collatio, exsecutor executionem intermittat atque de re statim certior faciat auctoritatem quae actum edidit.

(Textus huius canonis erat canon 17 de rescriptis).

Placet ut norma generalis, sed Rev.mus Secretarius Ad. notat tamen in «de rescriptis» opportunum esse dicere «firmo praescripto can. 7» (nunc 5), necnon adiungere «si constet aliquam conditionem non esse impletam».

Ill.mo tertio Consultori substantia placet, sed nimis complicata videtur redactio.

Ill.mus quintus Consultor ad formam canonis simplificandam proponit ut in duas paragraphos canon dividatur.

Rev.mus quartus Consultor, e contra, praefert ut cum de eadem reagatur simul tractetur.

Respondet Ill.mus quintus Consultor in prima paragrapho de executione, quae denegari nequit, et in altera de executione intermittenda agi, ideoque rem diversam esse; nempe agitur de diversa exsecutoris aptitudine ad executionem quod attinet.

Tres sunt factispecies, nempe: 1<sup>o</sup>) si actus administrativus est *nullus* exsecutor executionem denegare debet; 2<sup>o</sup>) si indigno dirigitur, debet intermittere; 3<sup>o</sup>) si alius offensio habetur, certiore facere Superiorem tenetur.

Post disceputationem maior Consultorum pars praefert ut res sicut est remaneat.

Ad suam propositionem, quae habet: «Is cui mera executio actus administrativi proprii superioris demandatur, mandatum exsequi debet, nisi constet actum esse nullum aut non sustineri, aut praevideantur incommoda superiori ignota, monito quamprimum (in utroque casu) superiore, Rev.mus sextus Consultor notat se verbum «incommoda» adhibuisse quia omnibus actibus applicatur et non tantum de subiecti indignitate agitur, uti in decreti executione.

Rev.mus quartus Consultor notat locutionem «incommoda» nimis latam esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur «si tamen executio actus adiunctorum personae aut loci ratione videatur prorsus inopportuna, exsecutor executionem intermittat ...». Placet propositio.

#### *Canon 8 (qui fit 6)*

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentielles in litteris appositas impleverit ac substantialem formam servaverit, irrita est executio.

Propositio Rev.mi sexti Consultoris est regulam pertinere ad normas de mandato.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertit necessarium esse capitulum de mandato facere, sed melius est ut regula heic remaneat, quia actus administrativi executionem respicit. Convenit etiam Rev.mus sextus Consultor.

Placet ergo ut remaneat et textus probatur.

*Canon 9 (qui fit 7)*

Exsecutio cuiuscumque actus administrativi qui forum externum respicit scripto est facienda.

Rev.mus sextus Consultor quaerit num scriptum ad validitatem requiratur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. id, si in iure expresse non notatur, non esse ad validitatem. Exsecutio notari debet, non tamen necessario in scriptis.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « scripto est consignanda » loco « facienda ». Placet.

*Canon 10 (qui fit 8)*

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Rev.mus sextus Consultor quaesierat de pertinentia vel minus huius regulae ad normas de mandato, sed iam provisum est. Placet canon.

*Canon 11 (qui fit 9)*

Actus administrativi executioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Placet canon, vertetur tamen in forma singulari, i. e.: « actus administrativus ... potest ... ».

*Canon 12 (qui fit 10)*

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi executione erraverit, iterum eundem executioni mandare.

Propositio Rev.mi sexti Consultoris: « Si error fuit substantialis, nihil actum est; si fuit accidentalis, per se patet eum corrigi posse et debere. Canon potius omittatur ».

Post disputationem canon remanet uti est.

*Canon 13* (qui fit 11)

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

Placet ut in normis communibus recipiatur, hoc modo tamen mutatus: « Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime significatur personae pro qua datus est ».

## Caput II - DE DECRETIS ET PRAECEPTIS SINGULARIBUS

*Canon 12*

Decretum particulare seu singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva editus quo, ut applicationi normarum iuris prospiciatur, pro casu particulari earundem datur declaratio aut certa fit canonica provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponit.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verbum « provisio » ad officii nominationem reservetur et ut hic dicatur « certa fit ordinatio vel provisio » aut « provisio aliave ordinatio ».

Ill.mus tertius Consultor praeferret « res ordinata » potius quam « ordinatio ».

Ex propositione Rev.mi Secretarii Ad. loco « declaratio » seligitur « decisio » et ex propositione Ill.mi primi Consultoris tollitur verbum « particulare ».

Rev.mus secundus Consultor praefert ut dicatur « ad normam iuris », quia activitas potestatis administrativa, secus ac illa potestatis iudicialis, non exhauritur in iuris applicatione.

Rev.mus Secretarius Ad. concordat textum limitari debere executioni et non iuris creationi.

Rev.mus quartus Consultor notat actum administrativum intra fines legis fieri debere, intuitu boni communis.

Concordat Rev.mus secundus Consultor activitatem administrativam agi intra fines legis, et normis iuris conformem esse debere. Tantum intra hos fines adest libertas.

Rev.mus Secretarius Ad. observat actus administrativi esse ea quae in

lege continentur executioni mandari. In textu potest dici « ut executioni normarum iuri prospiciatur » loco « applicationi ».

Post disceptationem et varias propositiones factas textus probatur prout sequitur: « Decretum singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva editus quo secundum iuris normas pro casu particulari datur decisio aut canonica fit provisio, quae naturae suae petitionem ab aliquo factam non supponunt ».

### *Canon 13*

Praeceptum particulare seu singulare intelligitur decretum directe alicui personae aut certis personis imponens obligationem qua normae canonicae certive decreti observantia urgetur.

Rev. mus septimus Consultor animadvertit notiones quae in textu exprimuntur conciliandas et concordandas esse cum normis de iure poenali ubi etiam regulae dantur de praecepto et decreto poenali. Et hoc quoque ad definitiones et usum verborum quod attinet.

Rev. mus secundus Consultor animadvertit praeceptum ad urgendam obligationem vim habere tantum si cui dirigitur se non invitum manifestat.

Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut can. 13 adiungatur « invitus ».

Ill. mus tertius Consultor observat « invitus » terminum nimis latum esse.

Rev. mus Secretarius Ad. animadvertit « invitum » esse qui renuit facere quod lex vel decretum imponit.

Rev. mus sextus Consultor quaerit utrum praeceptum hoc in casu semper praecedentem obligationem supponat. Et praeceptum magis urgens quam imponens obligationem est.

Consentit Rev. mus Secretarius Ad.: eadem res et pro lege habetur.

Omnes, in fine, conveniunt ut canon sic redigatur: « Praeceptum singulare intelligitur decretum quo directe alicuius normae canonicae vel decreti observantia urgetur contra invitos ».

### *Canon 14*

Decretum atque praeceptum interpretanda sunt ad normam can. 2; in dubio, ea quae ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendae attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

Placet.

*Canon 15*

Decretum particulare atque praeceptum particulare vim habent tantum quoad res de quibus decernunt et pro personis quibus data sunt; has vero ubique obligant, nisi aliud constet.

Placet, mutato tamen verbo « particulare » cum « singulare ».

*Canon 16*

§ 1. Decretum praeceptumve particulare quo provisio quaedam fit sine interiecto exsecutore, effectum habet a momento quo personae ad quam attinet est auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis intimatum: caetera a momento executionis.

§ 2. Decretum praeceptumve particulare ut urgeri valeant, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimata fuerint.

*Quoad* § 1: Rev.mus secundus Consultor desiderat ut praecepti intimatio coram duobus testibus detur.

Rev.mus quartus Consultor notat fieri posse etiam per litteras quas vocant « raccomandata con ricevuta di ritorno ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Coetum « de normis generalibus » cum suffragiorum maiortate suppressionem locutionis « coram duobus testibus » admisisse.

Ill.mus tertius Consultor mavult ut dicatur « quo provisio vel decisio quae dantur sine interiecto exsecutore ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut redactio sit: « Decretum praeceptumve singulare cuius applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento executionis; secus a momento quo personae est auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis intimatum ».

Placet.

*Quoad* § 2: Placet, mutatis « particulare » cum « singulare » et forma adhibita singulari, i.e.: « valeat ..., intimatum fuerit ».

*Canon 17*

§ 1. Decretum particulare non cessat resoluto iure statuentis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 2. Praeceptum particulare seu singulare cessat resoluto iure praecipientis, nisi legitimo documento impositum fuerit.

Placent §§ 1 et 2, mutatis verbis « particulare » cum « singulare ».

*Canon 18*

Decretum praeceptumve particulare vim habere desinit revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius executionem data sunt.

Ill. mus primus Consultor dicit se nullam dubitationem habere pro praeceptis, sed pro decretis ancipitem esse.

Rev. mus secundus Consultor tenet nullam difficultatem dari ad legis cessationem quod attinet, quae e contra adest pro decreti revocatione quae saltem non in omnibus casibus admitti potest.

Si, ex. gr., Episcopus aliquam religionem per decretum in sua dioecesi admittit, decretum ipsum fundamentum evadit totius activitatis illius religionis, ideoque revocari nequit ne illius religionis stabilitas in discrimen ponatur.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. sufficere adiungere adiectivum « legitima » ante « revocatione ».

Ill. mus quintus Consultor praeoccupatur ne iura quaesita laedantur et non sufficienter protectione tegantur. Consequentia, decreti revocatio aliquibus regulis indiget.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. hanc aliam esse quaestionem, sed revocatio effectum suum facit. Iura quaesita seorsum regulantur, sed extranea principio sunt.

Ill. mus tertius Consultor proponit ut adiungatur « salvis iuribus quaesitis » et Rev. mus secundus Consultor timet ne Ordinarii ex hoc canone ius suum dirimant.

Tandem aliquando omnes concordant de sequenti textu:

« Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit legitima revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius executionem datum est ».

\* \* \*

Rev. mus Secretarius Ad. quaerit utrum de decretis et praeceptis alia dicenda sint. Tractatum est de eorum definitione, deque interpretatione, pro quibus valent, de eorum validitate ubique vel in territorio, denique de cessatione. Ideoque de decretis singularibus omnia hic resumuntur. Remanet ut can. 5 § 1 (quod continetur in fasciculo de normarum generalium canonibus paratis pag. 22)<sup>2</sup>, quatenus respicit praecepta quae ad iudicia pertinent, ad normas de processibus remittatur, cum noster Coetus iam de illa materia in actibus administrativis tractavit.

Iuxta Rev. mi. secundi Consultoris sententiam, videndum esset etiam

<sup>2</sup> Cfr. *Communicationes* 22 (1990) 274.

de casu quo quis, praecepto cum adnexa poena punitus, domicilium suum in alium transfert locum, ut iam amplius subditus Superioris praecipientis non sit.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc ad ius poenale pertinere.

Ill.mus tertius Consultor quaestionem movet de praeceptis ex potestate dominativa publica datis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. illam, si potestas est publica, esse potestatem executivam. Hodie omnis Moderator supremus potestate executiva gaudet, quae iurisdictionis potestati assimilatur.

Idem Rev.mus Dominus proponit ut can. 4 de praeceptis (pag. 20 fasciculi mensis aprilis 1973 «de normis generalibus»)<sup>3</sup> ad aliam materiam quam ad titulum «de actibus administrativis» transferatur.

Ill.mus quintus Consultor notat melius esse ut ponatur sub titulo «de praeceptis» quam in normis «de actibus administrativis». Praeferendum esset ut canon in iure de religiosis inseratur, cum illos solummodo respiciat.

Observat Rev.mus septimus Consultor eum valere etiam pro Canoniorum Capitulis et Fidelium associationibus.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertit associationes fidelium per sua statuta ligari et regulari.

### Caput III - DE RESCRIPTIS

#### *Canon 19*

Rescriptum intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva elicitus quo, de se ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia aut quaedam licentia.

Statim quaestio terminologica de «gratia» movetur: utrum verbum servandum sit vel minus (sextus Consultor).

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertit termino «gratia» tantummodo concessionem favorabilem in favorem alicuius personae indicari.

Ill.mus tertius Consultor praeferret vocabulum «favor», cum «gratia» saeculis XIII-XIV adhibita est potius a Curia Romana quam ab auctoribus.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. vocem «favor» magis adhiberi ad favorem iuris indicandum, quam pro concessione quae «gratia» dicta est inde a saeculo XIII. Sola difficultas in eo consistit quod «gratia» non

<sup>3</sup> Cfr. *Communicationes* 22 (1990) 273.



semper concessio est. Casus enim dantur in quibus qui petit, etiam si strictum ius non habet, tamen in talibus versatur conditionibus, quae concessionem postulant vel exigunt.

Proponit ut adiungatur «cui aequa fit concessio privilegii», vel «ex aequitate conceditur». Textus hoc in casu pro licentia non valeret.

Rev.mus sextus Consultor mentem suam pandit quae contra actus auctoritatis conceptionem est, quae nimis sapit regimen auctoritarium, principem nempe, ex quo explicatur historia et usus termini «gratia».

Rev.mus secundus Consultor notat decreta etiam et leges ex aequitate provenire debere.

Ill.mus tertius Consultor proponit ut verba «aliave», «aut quaedam» tollantur ita ut textus dicat simpliciter «privilegium, dispensatio, gratia, licentia». Contradicit Rev.mus Secretarius Ad.

Rev.mus secundus Consultor instat ut gratiae conceptus retineatur. Difficultas in eo consistit quod recursus adversus gratiae denegationem via iudiciali non datur: tantum superior denegans adiri potest. Si gratiae concessio iura aliorum laedit, recursus contra eius concessionem datur; dum pro licentia ad eam obtinendam ius habetur, nisi periculum adsit doctrinae, et hoc ius via sive iudiciali sive administrativa vindicari potest. Insuper videndum esset quid est licentia.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in textu dici «aut quaedam licentia» praecise ut differentia a praecedentibus sublineetur.

Tandem aliquando in fine disceptationis omnes conveniunt ut post «executiva» adiungatur «in scriptis» et demptis verbis «aut quaedam licentia»; secunda paragraphus adiungatur, quae de licentiae concessionem his verbis tractet: «Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta de concessionibus licentiae quoque valent, nisi aliud constet».

#### *Canon 20*

Rescriptum quamlibet continens gratiam impetrari potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

Placet, suppressis verbis «continens gratiam» et mutato «quamlibet» cum «quodlibet», proponente Ill.mo quinto Consultore.

#### *Canon 21*

Rescriptum gratiam quamlibet continens ad iudicii ordinationem non pertinentem impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex apposis clausulis appareat.

Placet cum hac emendatione: «Rescriptum ad iudicii ordinationem non pertinens impetrari ...», loco «Rescriptum gratiam quamlibet continens ... non pertinentem ...».

*Canon 22*

Rescriptum, in quo gratiae concessio fit sine interiecto exsecutore, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

Placet, mutatis verbis « gratiae concessio fit sine interiecto exsecutore », cum « Rescriptum, *in quo nullus datur exsecutor*, effectum ... ».

*Canon 23*

Conditiones in rescriptis tunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas *si*, *dummodo*, vel aliam eiusmodi significationis exprimuntur.

Placet.

*Canon 24* (qui erat can. 1 de rescriptis)

Quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

Placet.

*Canon 25*

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen agatur de rescripto gratiae quod « *Motu Proprio* » datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis.

Placet.

*Canon 26*

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Romanum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum est.

Placet.

*Canon 27*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario generali vel Vicario episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari (cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14 § 4).

Placet.

*Canon 28*

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generale.

§ 2. Si sint aequae peculiaris aut generalis, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat mentio expressa de priore, aut nisi impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio num rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescribentes.

Placet.

*Canon 29*

Rescripta intelligenda sunt ad normam can. 2; in dubio, rescripta quae ad lites referuntur, aut iura aliis quaesita laedunt, aut adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Placet, additis post « ad normam can. 2 » inter parentheses verbis « de actibus administrativis ».

*Canon 30*

Rescriptum in quo nullus datur executor, tunc tantum debet Ordina-

rio impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipiat, aut de rebus agatur publicis, aut approbare conditiones oporteat.

Placet.

*Canon 31*

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt executori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Placet.

*Canon 32*

§ 1. Firmis praescriptis can. 4, executor rescripti cui committitur merum executionis ministerium, executionem rescripti denegare potest quoque si in rescripto apponantur conditiones quas executori constet non esse impletas.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio executori committatur ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Placet, mutato «denegare potest» cum «denegare debet».

*Canon 33*

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Placet.

*Canon 34*

§ 1. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

§ 2. Per cessationem rescribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex apposis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiari-bus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Placet.

*Canon 35*

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

Placet.

*Canon 36*

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, servantur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Placet.

\* \* \*

Sic huius Coetus sessionis materia explicit. Pro proxima Coetus sessione Rev.mus Secretarius Ad. proponit: I) iterum considerentur canones de actibus administrativis deque decretis et praeceptis singularibus; II) canones de decretis generalibus deque instructionibus et quaestiones ipsis connexae perpendantur.

Rev.mus secundus Consultor instat ut etiam de Directoriis sermo instituat.

Post haec, Rev.mus Secretarius Ad. finem sessioni imponit.

Romae, 26 octobris 1973.

M. DE NICOLÒ  
*Adiutor a studiis*

CANONES APPROBATI  
DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS

Caput I - NORMAE COMMUNES

*Canon 1* (novus)

Actus administrativus singularis, sive sit decretum aut praeceptum si-  
ve sit rescriptum, elici potest, intra fines suae competentiae, ab eo qui po-  
testate executiva gaudet.

*Canon 2* (CIC 49)

Actus administrativus quicumque intelligendus est secundum pro-  
priam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debet  
ad alios casus praeter expressos extendi.

*Canon 3* (CIC 46)

Actus administrativus, etiam si sit rescriptum *Motu Proprio* conces-  
sum, conferens provisionem vel gratiam personae de iure inhabili ad ean-  
dem consequendam, itaque editus contra alicuius loci legitimam consuetu-  
dinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, effectum  
non habet, nisi expressa derogatoria clausula legitime apponatur.

*Canon 4* (CIC 53)

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur,  
antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem re-  
cognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate eun-  
dem actum edentis transmissa.

*Canon 5* (CIC 54 § 1)

Exsecutor actus administrativi, cui committitur merum executionis  
ministerium, executionem huius actus denegare non potest, nisi manife-  
sto appareat eundem actum esse nullum aut sustineri non posse; si tamen  
exsecutio actus adiunctorum personae aut loci ratione videatur prorsus  
inopportuna, exsecutor executionem intermittat atque de re statim cer-  
tiores faciat auctoritatem quae actum edidit.

*Canon 6* (CIC 55)

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam,  
et, nisi conditiones essentielles in litteris appositae impleverit ac substan-  
tialem formam servaverit, irrita est executio.

*Canon 7* (CIC 56)

Exsecutio cuiuscumque actus administrativi qui forum externum respicit scripto est consignanda.

*Canon 8* (CIC 57)

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

*Canon 9* (CIC 58)

Actus administrativus executioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

*Canon 10* (CIC 59)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi executione erraverit, iterum eundem executioni mandare.

*Canon 11* (CIC 60)

Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime significetur personae pro qua datus est.

## Caput II - DE DECRETIS ET PRAECEPTIS SINGULARIBUS

*Canon 12* (novus)

Decretum singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva editus quo secundum iuris normas pro casu particulari datur decisio aut canonica fit provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

*Canon 13* (novus)

Praeceptum singulare intelligitur decretum quo directe alicuius normae canonicae vel decreti observantia urgetur contra invito.

*Canon 14* (novus: can. 4 § 1 de procedura administrativa)

Auctoritas, antequam decretum praeeptumve particulare ferat, omnium adiunctorum debitam notitiam sibi comparet, de necessitate vel

opportunitate decreti praeceptive probationem acquirat atque, quatenus id fieri possit, eos audiat quorum iura laedi possint.

*Canon 15* (CIC 49-50)

Decretum atque praeceptum interpretanda sunt ad normam can. 2 (de actibus administrativis); in dubio, ea quae ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendasve attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

*Canon 16* (novus)

Decretum singulare atque praeceptum singulare vim habent tantum quoad res de quibus decernunt et pro personis quibus data sunt; has vero ubique obligant, nisi aliud constet.

*Canon 17* (novus)

§ 1. Decretum praeceptumve singulare cuius applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento executionis; secus a momento quo personae est auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis intimatum.

§ 2. Decretum praeceptumve singulare ut urgeri valeat, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimatum fuerit.

*Canon 18* (§ 1: novus; § 2: CIC 24)

§ 1. Decretum singulare non cessat resoluto iure statuentis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 2. Praeceptum singulare cessat resoluto iure praecipientis, nisi legitimo documento impositum fuerit.

*Canon 19* (novus)

Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit legitima revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius executionem datum est.

### Caput III - DE RESCRIPTIS

*Canon 20* (novus)

§ 1. Rescriptum intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva in scriptis elicitus quo, de se ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia.



§ 2. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta de concessionibus licentiae quoque valent, nisi aliud constet.

*Canon 21 (CIC 36)*

Rescriptum quodlibet impetrari potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

*Canon 22 (CIC 37)*

Rescriptum ad iudicii ordinationem non pertinens, impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

*Canon 23 (CIC 38)*

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

*Canon 24 (CIC 39)*

Conditiones in rescriptis nunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas *si*, *dummodo*, vel aliam eiusmodi significationis exprimuntur.

*Canon 25 (novus)*

Quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

*Canon 26 (CIC 40-42)*

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen agatur de rescripto gratiae quod *Motu Proprio* datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis.

*Canon 27 (CIC 43)*

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Romanum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum est.

*Canon 28 (CIC 44)*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatan ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario generali vel Vicario episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari (cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14 § 4).

*Canon 29 (CIC 48)*

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat mentio expressa de priore, aut nisi impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio num rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescribentes.

*Canon 30 (CIC 49-50)*

Rescripta intelligenda sunt ad normam can. 2 (de actibus administrativis); in dubio, rescripta quae ad lites referuntur, aut iura aliis quaesita laedunt, aut adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

*Canon 31 (CIC 47)*

Rescriptum non fit irritum ob errorem in nomine personae cui datur vel a qua editur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

*Canon 32 (CIC 50)*

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agatur publicis, aut approbare condiciones oporteat.

*Canon 33* (CIC 52)

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

*Canon 34* (CIC 54)

§ 1. Firmis praescriptis can. 5 (de normis generalibus), exsecutor rescripti cui committitur merum executionis ministerium, executionem rescripti denegare debet quoque si in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

*Canon 35* (CIC 69)

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

*Canon 36* (CIC 60-61)

§ 1. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

§ 2. Per cessationem rescribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex apposis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiari-bus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

*Canon 37* (§ 1: novus; § 2: CIC 79)

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

*Canon 38* (CIC 62)

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, servantur in-super praescripta canonum qui sequuntur.

